



Universitätsbibliothek Paderborn

**Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, &
Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos
attinentibus**

Engel, Ludwig

Salisburgi

Cap. 7. De Alienatione, Præscriptione Bonorum Parochialium, alijsque
Ecclesiarum Parochialium Privilegijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

CAPUT VII.

An & qualiter Bona Parochia-
rum alienari vel præscribi possint? Item
& de Restitutione in integrum, aliisque
Ecclesiarum Parochialium iuris
privilegijs.

S U M M A R I A.

1. Res immobiles & mobiles pretiosæ Ecclesiarum alienari prohibentur.
2. Quid per nomen alienationis intelligatur.
3. Quis nomine superioris veniat, cuius authoritas in alienatione requiritur.
4. Alienatio injusta ipso jure est nulla.
5. Bona Ecclesiastica non nisi spatio 40. annorum præscribuntur.
6. Ecclesia per prescriptionem vel alias intra annos extra iudicium lœsa, datar beneficium Restitutionis in integrum.
7. Quanam alia jura competant parochijs.

Certum & indubitatum est de jure, quod omnes res immobiles sive solo cohærentes, sine causa necessitatis, utilitatis, vel pietatis alienari prohibeantur t.t. de reb. Eccles. non alien. ut prædia, fundi, domus &c. quibus etiam annumerantur jura incorporalia ut jura piscandi venandi, aliaque jurisdictionalia. c. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6. & clem. 1. Eod. sicut & census anni; si ex fundatione vel aliunde in perpetuum

tum constituti sint pro sustentatione ministeriorum Ecclesiæ vel ipsius Ecclesiæ conservatione.
Clem. i. §. cumque anni redditus de V. s.

Item etiam alienari prohibentur M O B I L I A
 P R E T I O S A , qualia censemur , quæ sunt de
 thesauro Ecclesiæ , vel quæ propter pretium , ar-
 tem aut antiquitatem singularem splendorem
 Ecclesiæ conferunt : sicut & reliquiæ Sancto-
 rum præsertim ubi perpetuæ sepulturæ manda-
 tæ sunt. teste Ricc. p. i. resolut. 60.

Nomine autem alienationis intelliguntur in-
 primis omnes contractus quibus dominium uti-
 le vel directum transfertur , ut donatio , vendi-
 tio , permutatio , feudum & Emphiteusis &c.
 Deinde etiam omnes contractus , quibus non
 quidem dominium , sed tamen possessio aut jus
 percipiendi fructus ex re Ecclesiastica ad longum
 tempus transfertur , eujusmodi sunt oppignora-
 tio specialis , ususfructus & elocutio facta ultra
 triennium . c. nulli c. ad audiencem . Extravag.
 ambitiosa . de reb. Eccles. non alien. nisi sint res ab
 antiquo alienari solitæ , quæ etiam ad Ecclesiæ
 reversæ (antequam reincorporentur bonis apud
 Ecclesiam manentibus) denuò sine nova so-
 lemnitate alienari poterunt . uti sunt prædia quæ
 rusticis in feudum vel Emphiteusim aut vitali-
 tum dantur d. Extravag. ambitiosa. § c. 2. de
 feud.

3 Nomine verò superioris , cum cuius authori-
 tate alienatio fieri debet . licet in d. Extravag.
 ambitiosa. tantum veniat S. Pontifex , tamen ulu-

ma.



magis recepti sunt antiquiores Canones, ex quibus proximus superior & Ordinarius loci intellegitur. *c. Abbatibus.* 12. q. 2. *Clem. I. de reb. Eccles.* non alien. ubi est Gl. notab. quod etiam Abbates præsertim exempti in Ecclesiis pleno jure sibi subjectis possint autoritatem in alienatione rerum ad dictas Ecclesiæ pertinentium præstare.

Alienatio sine justa causa & superioris auctoritate est nulla ipso jure, & res alienata unacum fructibus etiam per ipsum alienantem, restituto tamen pretio saltem quatenus Ecclesia locupletior est facta, repeti potest & debet, atque alienator, & is in quem facta est alienatio sententiam excommunicationis incurrit. *d. Extravag. ambitiosa.* quia tamen teste Nav. in Man. c. 27. n. 150. *d. Extravag.* non est ubique & quoad omnia recepta, præsertim verò quoad Censuras, quæ scientiam & contumaciam requirunt, idèò magis putarem pœnæ arbitrariæ locum fore, & etiam censuris saltem per sententiam inferendis, si in parendo vel restituendo contumacia appearat.

Plura hac de re tradidi in libello de privil. Monast. Privileg. 32. sed quæ ibi de Prælatis dicta sunt, non possunt statim omnia Parochis accommodari, utpote qui longè restrictiorem potestatem habent, & magis in occurrentibus dubijs & casibus ad Episcopum vel ejus Consistorium recurrere debent.

Ad Præscriptionem quod attinet notorij eti-

72 PARS I. CAPUT VII.

am juris est, bona Ecclesiarum immobilia non præscribi nisi lapsu 40. annorum c. illud c. de quarta. de prescript. c. 1. eod. tit. in 6. Nov. III. in princ. Nov. 131. c. 6. idemque ad res mobiles, (saltem pretiosas & alienari prohibitas) exten-dendum existimo cum Pan. & Host. in c. 1. de in integr. rest. si enim res hujusmodi quoad alienationem comparantur immobilibus, planè etiam quantum ad præscriptionem non erunt se-parandæ. alienationis enim verbum etiam usuca-pionem continet. l. alienationis 28. de verb. sign. non obstat auth. quas actiones C. de SS. Eccles. ubi dicitur, quòd triennalis præscriptio (quæ est rerum mobilium) etiam contra Ecclesiæ procedat, nam præterquam quòd authenticæ ab Irnerio ex Novellis transumptæ, eatenus obli-gent, quatenus in Novellis reperiuntur, sed in Nov. 131. c. 6. ex qua d. auth. quas actiones de-sumpta est nihil exprimitur de triennali præscrip-tione, sicut posuit Irnerius in d. auth. quas a-ctiones & forsan Imper. ibidem dum in initio d. c. 6. Nov. 131. generaliter dixit, pro temporalibus præscriptionibus &c. præscriptionem decennalē & vicennalem tantum exempli (quod non re-stringit sed de larat) causa subjecit: potest eti-am responderi quòd constitutiones Imperioriæ non ligent Ecclesiæ, nisi quatenus à jure Ca-nonico receptæ sunt, de quo jure nulla sit inter res mobiles & immobiles distinctio saltem si lo-quamur de mobilibus pretiosis, ut dictum.

6 Præterea si Ecclesia ex præscriptione, vel
con-



contractu, aut in judicio per omissionem exceptionis, probationis aut appellationis &c. lœsa fuerit, datur ei ad instar minoris & pupilli *in integrum restitutio* qua in eum statum reponitur, in quo fuit ante lœsionem c. i. *de in integ. rest. l. un. C. si advers. præscript. l. minorib. C. si. tutor vel Curat. interven.*

Dummodo petatur restitutio intra quadriennium, quod aliqui præcisè à die lœsionis, alij favorabilius pro Ecclesia à die scientiæ seu cognitæ lœsionis computant: nisi insuper post diem lœsionis 40. anni elapsi fuissent, & sic non tantum actioni principali, sed & ipsi restitutioñis beneficio præscriptum censeretur. *vid. Arnold. Rath. in tract. de usue ap. cap. 5. assert. 45. Decius in Conf 62. Everh. vol. 2. Conf 50, n. 21. Ias. in d. auth. quasactiones. de hoc restitutioñis beneficio etiam dictum est in libell. de privileg. mon. priv. 31. bonis autem Patrimonialibus Clericorum non dari privilegium præscriptioñis quadragenariæ aut restitutioñis in integrum (nisi Clericus minoren̄is foret aut in minorenitate lœsus & tempora restitutioñum scil. 29. ann. nec dum excessisset) quamvis interim talia bona immunitate ex probabiliori sententia gaudeant, notatur apud Marth. de Jurisd. p. 4. 6. 49. & Dec. in c. Ecclesia, de constit.*

Alia insuper quamplurima privilegia Monasterijs aliisque pijs caufis competentia etiam Ecclesijs Parochialibus recte applicantur. quæ in sæpe d. Libello de Privil. Monast. tradita videri poterunt. Ut

E s. i. Quod

I. Quod aliquis possit cogi ad vendendam domum vel fundum pro erectione vel ampliatione Ecclesiæ vel cœmiterij pag. 1. & 291.

II. Ecclesia etiam sœcularis habetur loco filij, & facit deficere conditionem, si sine liberis &c. si Clericus bona restitutioni obnoxia velit relinquere Ecclesiæ. pag. 100. & 307. Barb. jur. Eccles. univ. lib. 2. cap. 13. n. 24.

III. Ecclesia heres non conficiens inventarium non tenetur ultra vires hereditatis, pag. 101. & 309.

IV. Quod relinquitur Ecclesiæ in testamenis non requirit Juris Civ. solennitates, dummodo constet de voluntate defuncti. pag. 105. & 311.

V. Ex legatis & fideicommissis Ecclesiæ relictis non detrahitur Falcidia vel Trebellianica. pag. 107. & 314.

VI. Donatio ultra 500. solidos absque inscriptione, item & donatio omnium bonorum facta Ecclesiæ valet, nec revocatur ob ingratitudinem Parochi, vel supervenientiam liberorum ex parte donatoris. pag. 110. & seqq. & pag. 317.

VII. Follicitatio facta Ecclesiæ irrevocabiliter obligat etiam nemine acceptante. pag. 119. & 320.

VIII. In Ecclesiam transfertur dominium sine traditione. pag. 121.

IX. Delictum Parochi non nocet Ecclesiæ. delictum 76. de R. I. in 6. pag. 122.

X. Tempore interdicti Generalis possunt in

Eo



DE PRIV. RERUM PAROCH. 75

clesia Parochiali fieri divina officia submissa vo-
ce & ianuis clausis. jux. c. alma mater de sent.
excom. in 6. pag. 126.

XI. Pro Ecclesia est actio popularis. pag. 128.

XII. In Processu Edictali prioritas adjudicanda est Ecclesiæ. pag. 329.

XIII. Ecclesiæ participant privilegia fisci, li-
bertatis, militum, alimentorum, dotis, mino-
rennium & Reip. dummodo casus sit applica-
bilis & in iure contrarium non sit dispositum.
pag. 205.

XIV. Legata Ecclesiæ relictæ in multis sunt
privilegiata ut pag. 210.

XV. Mandatum factum in favorem Eccle-
siæ non expirat re integra morte mandantis.
pag. 215.

XVI. Pactum super viventis hereditate valer
in favorem Ecclesiæ. pag. 216.

XVII. Pro favore Ecclesiæ tenetur reus ede-
re sua instrumenta. pag. 219.

XVIII. Judex in causa Ecclesiæ debet officium
suum impertiri etiam non imploratus. pag. 222.

XIX. In dubio pro Ecclesia est judicandum.
pag. 223.

XX. Ecclesia non obligatur ex mutuo nisi
probetur versum in ejus utilitatem. pag. 223.

XXI. Potest exceptionem non numeratæ pe-
cuniæ etiam ultra biennium opponere. pag. 224.

Hæc & alia quoque videri poterunt apud
Barb. Jur. Eccles univ. lib. 2. cap. 13. & Tira-
quell. in tract. de Privileg. piz cause.

PARS

